charitati, quæ secundum Paulum, 2. Cor. 13. v. 4. *Non æmulatur*; repugnat) sed sic, ut ejus gratia tota manente, aut etiam crescente, is, qui sanguine conjunctus est, majorem habeat; atque adeo absque alterius factura ad majorem gratiam, & gloriam promoveatur.

VII. Tertio. Conjunctiores secundum carnem pluribus titulis diliguntur, quam alii: diliguntur enim tamquam æternæ vitæ capaces, tamquam consanguinei, tamquam concives, familiares &c. Et non solum dilectione naturali, sed charitatis: nam charitas imperare potest aliarum amicitiarum actus, eosque ad suum finem supernaturalem ordinare; ergo qui sic sunt conjunctiores, magis debent diligi.

VIII. Quarto. Illi sunt magis diligendi, quibus majora benevolentiæ signa, & magis specialia exteriora officia præstare debemus: sed hæc præcipue, & magis præstare debemus illis, qui nobis sanguine sunt conjunctiores; ergo &c. Maj. patet. Quia hæc cum sint effectus internæ charitatis, ex charitate interna pensanda sunt. Min. vero prob. Tum quia: honorare parentes speciali mandato jubemur. Et Lev. 20. vers. 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte morietur*. Tum quia: 1 *ad Tim. 5. v. 8.* pronuntiatur infideli deterior: *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet*. Ubi Apostolus *suorum* nomine intelligit filios, nepotes, aliosque carne propinquos.

IX. His tamen non excluditur, quin cognatio spiritualis æstimatione, & dignitate præferenda sit carnali; & maxime in negotio Evangelicæ prædicationis, a quo avocari non debet homo, propter carnis, & sanguinis amorem: magis enim diligenda est Dei gloria. Et hoc est, quod dixit Christus, Matth. 12. vers. 48. *Qua est mater mea, & qui sunt fratres mei? . . . . Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*. Nos enim solum dicimus, quod absolute plus diligendi sunt quoad affectum, & effectum propinqui carnales, quam spirituales: & quod in pari necessitate, tum corporis, tum spiritus; prius subveniendum esset illis, quam istis.

X. Sed dices. Apostolus, ad *Coloss. 3. vers.* 11. vult, nos renovari secundum imaginem Christi: *ubi non est Gentilis, & Judæus . . . sed omnia, & in omnibus Christus*; ergo homini charitatem habenti nullus est extraneus; ergo non debet distinguere extraneos a conjunctis.

Rursus: ad *Galat. 6. v.* 10. Paulus vult, nos operari bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei: atqui exhibitio operis est probatio dilectionis; ergo domestici fidei sunt maxime diligendi.

Tertio. *Deut. 33. vers. 9.* habetur: *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos: & fratribus suis: ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt*. Si ergo laudantur, qui dicunt parentibus, fratribus, & filiis: *Nescio*: *ignoro vos*: ergo hi non sunt magis diligendi.

Quarto. S. Augustinus, *l. de vera Relig. c. 46.* asserit, necessitudines propinquitatis carnalis esse ex peccato: & qui eas non oderit, non esse aptum Regno Dei. Similia docet, *l. 1. de Serm. Domini in Monte, c. 15.*

Quinto. S. Prosper, *l. 3. de Vita contemplativa, c. 25.* amorem ortum ex necessitudine, tamquam carnalem, repudiat, ac damnat.

Sexto. Deus meliores magis diligit; ergo ut divinæ dilectioni conformemur, meliores magis diligere debemus. Eo vel magis, quod meliores magis participant bonitatem divinam, quæ est ratio diligibilium per charitatem. Unde in Gælo Sancti magis diligunt sanctiores, quam propinquiores.

XI. Ad hæc omnia respondendum est. Ad primum dico, Apostolum loqui de negotio justificationis, in quo nullum est discrimen. Sive enim sit Gentilis, sive Judæus, dummodo sit dispositus, meritum Christi, quod operatur in omnibus, in eo etiam operetur: non tamen intendit tollere conjunctionem secundum carnem, cujus consideratione alii sunt nobis propinqui, alii extranei.

XII. Ad secundum dico, domesticos fidei, cæteris paribus, esse magis diligendos, quam Infidelem, de quibus ibi Apostolus comparationem facit. Cum enim tunc Fideles infidelibus essent permixti; oportebat scire, utrum potius esset beneficiendum Fidelibus ne, an Infidelibus. Si tamen aliquis ponatur esse conjunctior secundum carnem, cætera non sunt paria: tunc enim, si Infidelis sibi sit conjunctus secundum carnem, potest, ac debet ardentius ejus conversionem amare, & optare.

XIII. Ad tertium dico, laudari ibi Levitas, qui in punitione adoratorum vituli (*Exod. 32.*) non sunt miseriti parentum, consanguineorum, ac filiorum; sed eos, Deo ita volente, occiderunt, perinde ac si eos non novissent: quia servaverunt pactum initum (*Exodi 24.*) Notum est autem negligendam esse carnis propinquitatem, quando impedimentum nobis est ad cultum, & amorem Dei. Unde S. Thom. hic *ad 1.* ait: *In propinquis nostris non præcipimur odisse, quod propinqui nostri sunt, sed hoc solum, quod impediunt nos a Deo. Et in hoc non sunt propinqui, sed inimici, secundum illud, Michæ 7.* Inimici hominis domestici ejus.

XIV. Ad quartum scire debet arguens, S. August. olim in sententia fuisse, quod si Adam non peccasset, non fuisset carnalis generatio: ac proinde, quod generatio, & conjunctio carnalis ex peccato orta sit: unde inferebat, hominem ratione carnalis conjunctionis non esse diligendum. Et ad hoc trahebat Christi verba, Lucæ 13. vers. 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem . . . . non potest meus esse discipulus &c.*

Hanc tamen sententiam improbavit, *lib. 1. Retract. c. 23.* his verbis: *Hunc sensum prorsus improbo . . . . Nondum enim videram, fieri potuisse, ut non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura . . . Essent ergo istæ cognationes, atque affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur*. Et *c. 19. Essent enim* (inquit) *profecto cognationes, & affinitates, etiamsi originali nullo existente peccato sine morte cresceret, & multiplicaretur genus humanum. At per hoc aliter solvenda est quæstio: cur Dominus præceperit diligendos inimicos, cum alio loco præcipiat, odio habendos, & parentes, & filios; non sicut hic* (lib. 1. de Serm. Dom. in Monte) *soluta est, sed sicut eam posterius sæpe solvimus: ideo scilicet, ut diligamus inimicos lucrandos Regno Dei, & oderimus in propinquis, si impediant a Regno Dei*. Cæterum, quod etiam non existente originali peccato, homines per generationem carnalem fuissent multiplicati, ostendimus, *Tom. 1. in 1. p. q. 4. Dub. 3.*

XV. Ad quintum dico, S. Prosperum (seu verius Julianum Pomerium, cujus putantur esse libri de vita contemplativa) damnare amorem consanguineorum, quo amantur, non propter Deum, & ex charitate, sed propter conjunctionem carnis, aut propter proprias utilitates, & commoda: hoc est, amore mere carnali.

XVI. Ad sextum respondeo cum D. Thom. hac *q. 26. art. 7. ad 2.* & *1. 2. q. 19. art. 10.* quod voluntas nostra, ut sit recta, conformari debet voluntati divinæ in volito formali, nempe in ultimo fine; non autem in volito materiali: *Quædam enim possumus in charitate velle, quia sunt nobis convenientia, quæ tamen Deus non vult; vult tamen, nos ea velle*. Quamvis autem meliores magis participent bonitatem divinam, sequitur quidem, quod secundum se sint magis diligibiles; non tamen quod ad eumdem finem debeant a nobis magis diligi in hac vita: cum possint concurrere aliæ causæ ex parte nostra, quibus alios ad eumdem finem intensius diligere debeamus.

Alia autem est ratio vitæ præsentis; ac futuræ. Nam in futura cessante causa, propter quam magis conjuncto magis providendum est, tam in spiritualibus, quam in corporalibus, totus ordo dilectionis spectabitur ex propinquitate ad Deum; ut docet D. Thom. hac *q. 26. art. 13.* & *Quæst. disp. de Char. art. 9. ad 12.* non sic autem in præsenti. Unde ibi addit: *Sed in via nobis est necessarium tendere in finem: & ideo ordo dilectionis attenditur etiam secundum mensuram auxilii, quod ex aliis consequitur ad tendendum in finem. Et sic non sequitur, quod meliores magis amentur, sed attenditur etiam ratio propinquitatis, ut ex utroque conjunctim sumatur ratio majoris dilectionis.*

§. III.

Qualis sit tenendus Ordo Dilectionis inter Conjunctos.

XVII. Docet S. Thom. hac *q. 26. art. 8.* quod cum illi, qui sunt nobis conjunctiores: sint magis diligendi; & conjunctio sanguinis, quæ est per naturalem originem, sit prior, & immobilior, quam conjunctio civilis, quæ est inter concives, & militaris, quæ est inter milites; quia istæ sunt supervenientes, removeri possunt: ideo amicitia consanguinitatis est potior, & stabilior simpliciter. Unde si non possint simul præstari ea, quæ pertinent ad conjunctionem sanguinis, & quæ sunt propria aliis conjunctionibus hæc debent omitti, immo & conjunctiones ipsæ deseri, ut consanguineis, saltem iis, qui sunt valde propinqui, subveniatur.

XVIII. Hinc infertur primo. In pari necessitate quoad ea, quæ pertinent ad naturam, sive etiam conservandam, magis succurrendum est parentibus, quam amico, vel benefactori; nisi amicus, sive benefactor esset persona publica.

Prior pars constat. Cum enim filius acceperit esse a parentibus, arctior est illi conjunctio cum ipsis, quam cum ullis aliis. Ut enim docet S. Thom. *2. 2. q. 31. art. 3. ad 4. Nullius beneficii beneficium est tantum, sicut parentum*. Et in *3. dist. 29. art. 6. ad 5. In his* (inquit) *quæ ad conservationem naturæ pertinent, magis sumus debitores parentibus, a quibus naturam accepimus, quam aliquibus aliis, & consanguinitas consequenter: & ideo magis liberare debemus patrem a morte, quam extraneum, etiamsi ille nos in casu simili liberasset*. Liberator enim non est causa vitæ, sed conservator.

Secunda autem pars est etiam certa: quia bonum commune præferendum est privato. Et S. Thom. citata *q. 31. art. 3. ad 3.* postquam dixit, nullius beneficii beneficium esse tantum, sicut parentum, subdit: *Nisi necessitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio, puta, utilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ*.

XIX. Sed quid, si parentes ad hæresim te induxissent, & amicus ad fidem te reduceret, aut confirmaret? Quid, si parentes essent admodum in te crudeles?

Respondeo ad primum. In iis, quæ pertinent ad naturam, adhuc magis diligendos esse parentes. Nam etsi vita spiritualis dignior sit corporali; atque adeo majus sit beneficium conversio ad fidem, quam naturalis generatio ad vitam: quia tamen beneficium conversionis, non æque est ab homine convertente, sicut vita corporalis est a generante (neque enim homo homini fidem, aut gratiam causat, sicut parentes filio in rebus ad naturam pertinentibus, erga parentes, quam erga amicum, qui te convertit ad fidem.

XX. Ad secundum. Dicunt muki, quod si pater, aut mater fuissent crudeles in filium, adeo ut voluissent eum occidere, & ab amico fuisset ereptus: liceret filio, parentibus prætermissis, talem amicum prædiligere, & juvare: quia beneficium

cium parentum per hoc, quod vitam filio eripere voluerunt; valde est diminutum. Ut enim ait S. Thom. hac *q. 26. art. 10. Potest in omnibus hujusmodi tanta esse diffantia virtutis, & malitiæ, ut amicitia salvatur, vel minuatur* —— Attamen Bannez, & alii probabiliter existimant, quod filius, etiam in tali casu, non teneatur parentes postponere, sed solum quod possit.

Quæ dixi de filiis erga parentes, vicissim de parentibus erga filios intelligenda sunt: ut scilicet parentes juvare debeant filios præ omnibus amicis, per se loquendo, in iis, quæ pertinent ad naturam. Cum autem variæ possint esse circumstantiæ locorum, temporum, ac negotiorum, quibus & filii teneantur postponere parentes, & parentes filios; ideo, ut ait S. Thom. *q. 31. art. 3.* pro omnibus eventibus una certa regula assignari non potest. Sed solum, quod, per se loquendo, conjunctiores secundum naturam, in his, quæ naturam spectant, cæteris paribus, præferendi sunt: ideoque per se prius subveniendum est fratri, & sorori, & successive aliis consanguineis ordine servato: licet per accidens ratione specialis beneficii accepti, vel ratione aliarum conjunctionum civilis, & militaris, amici, vel alii, etsi non consanguinei; præferendi sint. Unde S. Thom. in *3. dist. 29. art. 6. ad 3.* ait: *Sed in aliis beneficiis possumus nos quandoque magis amicabiliter habere ad extraneos, quam ad propinquos*.

XXI. Hactenus de necessitate naturali sermo factus est. Sed quid de necessitate spirituali dicendum erit? In pari enim necessitate spirituali præferendi sunt parentes carnales, an spirituales?

XXII. Respondeo, probabilius parentes carnales esse præferendos. Primo. Quia parentes carnales ex dictis sunt magis ex charitate diligendi, quam alii: at nisi in necessitate spirituali præferantur aliis, non magis diliguntur ex charitate, sed solum amore naturali: quia amor charitatis præcipue fundatur super communicatione bonorum spiritualium ad beatitudinem conducentium; ergo &c. —— Secundo. Ut docet S. Thom. in *3. dist. 29. art. 7. Charitas ordinem naturæ non mutat*: sed ordine naturæ parentes præferuntur aliis; ergo etiam ordine charitatis. Parum autem esset, si filii tenerentur curam habere vitæ corporalis parentum præ aliis, non autem vitæ animæ illorum: quid enim prodest vita corporalis, si amittatur spiritualis, & æterna?

XXIII. Hinc Episcopus, aut Pastor in pari extrema necessitate debet prius succurrere patri, vel matri, etsi non essent ejus curæ pastorali commissi; quam filiis, vel parentibus spiritualibus (modo ne communitatem ipsam relinquat in periculo) quia conjunctio naturalis prævalet obligationi, quam ex officio superveniente habet erga alios. Cum tamen obligatio erga alios consanguineos non sit adeo arcta, quam erga parentes, & filios (si forte haberet) Pastor; & alius, cui incumbit cura animarum, potius debet juvare spiritualiter conjunctos, quam fratres, aut alios cognatos.

XXIV. Neque his, quæ dicta sunt, contrarius est D. Thomas hac *q. 26. art. 8. ad 2.* ait, quod quantum ad communicationem gratiæ, & instructionem morum *Magis subvenire debet homo filiis spiritualibus, quos spiritualiter genuit, quam filiis corporalibus*. Nam D. Thom. loquitur extra casum paris necessitatis extremæ, vel gravis. Extra hanc enim, non solum licet, sed interdum oportet, filiis spiritualibus subvenire magis, quam carnalibus.

XXV. Observo tamen, non peccare mortaliter eum, qui patri carnali præponeret spiritualem, filio carnali spiritualem, fratri carnali spirituilem; uti nec si quis magis diligeret meliores, quam conjunctiores minus bonos: quia non omnino convenit inter auctores, quis cui sit de necessitate præferendus.

Ex his quæres primo: Quis sit magis diligendus pater, an filius?

XXVI. Respondet S. Thom. hac *q. 26. art. 9.* quod gradus dilectionis ex duobus pensari potest. Vel ex parte objecti; & secundum hoc id, quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo similius: & sic pater est magis diligendus, quam filius: quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris. Alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis; & sic magis diligitur, quod est conjunctius: & secundum hoc filius est magis diligendus, quam pater. Quia pater diligit filium, ut aliquid sui: unde dilectio, qua pater diligit filium, similior est dilectioni, qua quis diligit se ipsum. Et addit ad primum: *Quod principio debetur subjectio, reverentia, & honor: effectui autem proportionaliter competit recipere influentiam principii, & provisionem ipsius. Et propter hoc parentibus a filiis magis debetur honor: filiis autem magis debetur cura provisionis*. Quæ tamen intelligenda sunt extra casum necessitatis. Nam, ut ait ibi ad tertium: *In articulo necessitatis filius obligatus est ex beneficiis susceptis, ut parentibus maxime providear*.

XXVII. Hinc colligo, patrem simpliciter, & appretiative esse præferendum ex charitate filio. Tum quia: homo plura beneficia recipit a patre, & prius fuit dilectus a patre, quam a filio suo. Tum quia: homo diligit patrem, ut principium, & causam sui; filium vero, ut effectum suum: major autem dependentia est, & obligatio effectus ad causam, quam causæ ad effectum. Et propterea (inquit S. Th. in *3. dist. 29. art. 7.*) *Homo facilius expellit a se filium, quam patrem, quem non expellit, nisi propter abundantem malitiam*. Quamvis ergo filius magis sit conjunctus patri, utpote aliquid ejus, quam pater filio; quia tamen pater est valde conjunctus filio, tamquam ejus causa, & ultra hoc adduntur rationes, quæ excessum alterius conjunctionis superant; ideo per se loquendo, Pater est magis diligendus, quam filius: sta tamen, ut extra casum necessitatis extremæ, vel gravis, succurrendum sit potius filio, quam patri. Unde Apostolus 2. ad Cor. 12. v. 14. *Non enim* (inquit) *debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*. In gravi autem necessitate potius succurratur patri, quam filio, ut nuper dicebamus, ex D. Thom. hoc *art. 9. ad 3.* ac patri semper debeatur honor, reverentia, & obedientia. Utrumque docet S. Thom. *2. 2. q. 31. art. 3. ad 4.* his verbis: *Parentes sunt sicut superiores. Et ideo amor parentum est ad beneficiendum, amor autem filiorum est ad honorandos parentes. Et tamen in necessitatis extremæ articulo magis licuerit deserere filios, quam parentes, quos nullo modo deserere liceat, propter obligationem beneficiorum susceptorum*. Quæ de patre dicimus, de matre dicenda sunt.

Sed quæres secundo? Quem homo magis diligere debeat, patrem, an matrem? Parentes, an uxorem?

XXVIII. Ad primum quæsitum respondet S. Th. hac *q. 26. art. 10.* Per se loquendo patrem magis diligendum esse, quam matrem. Et probat primo ex S. Hieronymo *in c. 44. Ezechielis*, dicente: *Natura super hoc probatur affectus, ut ordini charitatis . . . post rerum Parentem Deum carnis quoque pater diligatur, & mater, filius, & filia, frater, & soror: ita dumtaxat, si de domo non exierit, nec in alterius transierit potestatem*. Quibus, ut notat S. Thom. post Deum prius ponitur diligendus pater, deinde mater. Et rationem dat: *Amantur enim pater, & mater ut principia quædam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principii, quam mater: quia pater est principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis, & materiæ. Et ideo, per se loquendo, pater est magis diligendus*. Nec refert, matrem plus laborare in generatione, & educatione filii; ideoque esse magis amandam. Quia etiam mater plus diligit filium, quam pater. —— Nam hic loquimur de dilectione per se debita patri, & matri, secundum generationis rationem, in qua pater excellit, utpote principium activum; non de dilectione debita magis diligenti, & magis laboranti, ut docet D. Thomas hic *ad 2.* Eo vel maxime, quia, ut addit Cajetanus, *ad 3. Major excellentia principii præponderat majori labori matris in generatione: quoniam ratio boni magis attenditur in objecto per se dilectionis, quam ratio difficilis, seu laboriosi*.

Quare dicit S. Thom. per accidens adesse posse alias rationes in matre, quæ ipsam magis diligibilem reddant: ut si magis diligat, si sit bona, & habuerit diligentem curam educationis, & institutionis filii, pater malus, & nullam curam habuerit.

XXIX. Ad secundum quæsitum respondet S. D. ibid. art. 11. *Quia gradus dilectionis attendi potest, & secundum rationem boni, & secundum conjunctionem ad diligentem. Secundum ergo rationem boni, quod est objectum dilectionis, magis diligendi sunt parentes, quam uxor: quia diliguntur sub ratione principii, & eminentioris cujusdam boni. Secundum autem rationem conjunctionis, magis diligenda est uxor: quia uxor conjungitur viro, ut una caro existens; secundum illud Matth. 19.* Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

Nota tamen: quod cum S. Thom. *Quæst. 2. de Verit.* (quæ est de charitate) *art. 9. ad 18.* & *in 3. dist. 29. art. 7. ad 3.* ponat uxorem in eodem gradu dilectionis cum filiis; quia sicut filii diliguntur, ut aliquid patris, ita uxor diligitur, ut aliquid viri: idcirco sicut absolute debet pater curam habere providendi filiis, ita etiam uxori in necessariis. Sicut autem in casu extremæ necessitatis magis obligatur subvenire parentibus, quam filiis; ita magis tenebitur parentibus subvenire, quam uxori. Quia tamen excessus, qui est in hujusmodi debito, non est multum notabilis, ideo non videretur peccare mortaliter, qui præfatum ordinem immutaret.

XXX. Sed dices. Minus absolute videntur diligendi parentes, quam uxor. Tum quia: nemo dimittit rem aliquam, nisi pro re magis dilecta: sed, *Genes. 2. vers. 24.* dicitur, quod propter uxorem *Relinquet homo patrem, & matrem*; ergo magis debet diligere uxorem, quam parentes.

Tum quia: *Ephes. 5. v. 28.* dicitur: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit*: sed homo debet magis diligere seipsum, quam parentes: ergo &c.

E contra videtur minus diligenda uxor. Nam *Ephes. 5. v. 28.* dicitur, quod *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua*: sed ex dictis homo debet corpus suum diligere minus, quam proximum; ergo minus a fortiori debet uxorem diligere, quam parentes.

XXXI. Respondet S. Thom. hoc *art. 11.* ad primam instantiam, nego antec. Ad primam ejus probat. dicitur: *Quod non quantum ad omnia deseritur pater, & mater, propter uxorem: in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quam uxori. Sed quantum ad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, velictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori* (ita ad 1.)

Ad aliam dicit ibi (ad 2.) *Quod in verbis Apostoli non est intelligendum, quod homo debeat diligere uxorem suam æqualiter sibi ipsi: sed quia dilectio, quam aliquis habet ad seipsum, est ratio dilectionis, quam quis habet ad uxorem sibi conjunctam*.

Ad id vero, quod e contra opponitur, respondet S. Thom. ibidem: *Quod illud etiam non est sic intelligendum, quod ly* sicut *importet æqualitatem, sed rationem dilectionis. Diligit enim homo uxorem suam principaliter ratione carnalis conjunctionis*.

XXXIII. Tandem S. Thom. *art. 13.* hujus *quæst. 26.* docet, charitatis ordinem in Patria manere, sed secundum aliqua mutari. Manebit ergo quantum ad ordinem diligendi Deum. Ibi enim Deus super omnia diligetur, quia eo perfecte fruemur:

mur: diligetur etiam in hoc ordine Christus, etiam ut homo. Tum quia: Christus, cum sit una tantum persona, & hæc divina, non deest feorsim diligi ut homo, & feorsim ut Deus; sicut nec feorsim adorari debet ejus humanitas, & feorsim divinitas, ut ostenditur 3. p. q. 25. a. 2. Tum quia: etiamsi diligeretur feorsim, ut homo, adhuc tamen esset diligendus magis, quam nos ipsi; utpote salutis nostræ Auctor, & prima causa meritoria nostræ charitatis. De Beatissima autem Virgine Maria, an a Beatis diligatur supra seipsos; certum est, eam magis diligi objective: non tamen ita certum, an diligitur magis etiam intensive, vel appretative. Quia licet debeamus ei velle majora præmia beatitudinis; eo quod sit mater Dei exaltata super omnes creaturas: sed non ita certum est, quod debeamus erga eam magis affici, vel potius ei velle bonum, quam nobis.

Manebit etiam orda circa seipsum: unde post Deum quilibet Beatus magis simpliciter diliget seipsum, quam alios, etiam meliores, minus tamen ex parte objecti. Prior pars probatur. Quia *Donum charitatis unitusque confertur a Deo, ut primo quidem mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad Attentionem sui ipsius: secundario vero ordine aliorum in Deum velit, vel etiam operetur secundum suum modum.* Cum ergo intensio dilectionis proveniat ex parte diligentis, fit, ut magis intensive diligat seipsum, & etiam appretiative: ita ut magis velit adhærere Deo, quam alii, & minus velit, animam suam separari a Deo, quam alias.

Posterior etiam pars prob. a S. Doct. sic: *Valet enim quilibet beatus, unumquemque habere, quod sibi debetur secundum divinum justitiam, propter perfectam conformitatem voluntatis humanæ ad divinam*; ergo unusquisque volet magis beato majus bonum, quam sibi minus beato. Neque enim erit tunc amplius tempus proficiendi; & conandi ad majorem gratiam, & gloriam assequendam; sicut modo potest sibi desiderare majorem virtutem, & præmium, & consequenter majus bonum, quia nunc est tempus proficiendi: *Sed tunc voluntas uniuscujusque infra hoc sistet; quod est determinatum divinitus.*

XXXIII. Non autem manebit in Patria idem ordo diligendi proximos, qui est in via: sed unusquisque magis diliget sanctiorem, non habita ratione, an sit propinquus, vel extraneus, an pater, vel mater, an filius, an frater &c. Quia totus ordo dilectionis Beatorum observabitur per comparationem ad Deum; ut, scilicet, ille magis diligatur, & propinquior habeatur, qui erit propinquior Deo. Et hoc: tum quia, cum sit conjunctus immobiliter cum fine, ejus dilectio debet unice regulari a fine. Tum quia: ibi cessat omnino provisio, ram spiritualium, quam temporalium, propter quam hic præferri debent consanguinei extraneis. Addit tamen S. Thom. quod continget in Patria, ut *Aliquis sibi conjunctum pluribus modis diligat: non enim cessabunt ab animo Beati bonoſta dilectionis causa. Tamen omnibus istis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis, qua sumitur ex propinquitate ad Deum.* Quare si extraneus esset parenti meo æqualis in gloria; pluribus quidem modis diligam parentem in Patria, sed non intensius, quam extraneum.

Non tamen Beatus plus diliget Deo propinquiores, quam seipsum. Ut enim dictum est, & S. Th. hoc *a. 13. ad 1.* docet, quanto magis perfecta est charitas, tanto facit, ut subjectum eam habens perfectius amet seipsum intensive. Quia charitas ex natura sua habet, ut magis inclinet ad inhærendum Deo animam ejus, cui inhæret, quam aliorum.

DUBIUM V.

De Eleemosyna, ejusque Obligatione.

§. I.

Eleemosyna quid sit, & Quotuplex?

I. *Eleemosyna* græce, latine *misericordia* dicitur. Communi tamen usu non quivis actus misericordiæ dicitur eleemosyna; sed is solum, quo aliquid datur indigenti, ad ejus necessitatem sublevandam. Vocatur quoque interdum generali nomine *justitia*: sive quia pars justitiæ sit, sive quia ad justificationem disponat. Quare illa Christi verba, Matth. 6. v. 1. *Attendite, ne justitiam vestram facitis coram hominibus*, a S. Chrysostomo, *Homil. 19. in Matth.* de eleemosyna intelliguntur. De hac agit S. Th. hac 2. 2. q. 32. ex quo aliqua pro instructione delibabo.

II. Articulo ergo primo docet, eleemosynam esse actum charitatis, mediante misericordia. Esse actum charitatis constat. Tum quia: vulgari nomine eleemosyna *Charitas* nuncupatur. Tum quia: Veteres, id, quod alias dicitur eleemosyna, *Agapen*, idest, charitatem vocabant; ut videre est apud Tertullianum, *l. ad Martyres c. 2.* & Cyptianum *l. 3. Testim. ad Quirinum c. 3.* An autem eleemosyna sit actus a charitate elicitus, an solum imperatus: probabilius censetur, esse actum a charitate imperatum, mediante virtute misericordiæ, ex cujus motivo, nempe, sublevatione alienæ miseriæ, eleemosyna immediate tribuitur. Ex quo motivo etiam Ethnici, quamvis charitate supernaturali destituti, eleemosynas erogabant. Esto autem ad eamdem virtutem elicitive pertineat actus exterior, quando idem est motivum, non solum ex parte agentis, sed etiam ex parte operis, & formale; quando tamen motivum formale, & ex parte operis, & objecti est diversum, ut in casu, elicientia actus externi pertinet ad diversam virtutem, Quia tamen actus misericordiæ sine charitate, ut ait S. Th. citatus *ad 1.* est actus misericordiæ solum materialiter; propterea formaliter eleemosynas dare, idest propter Deum, non potest esse sine charitate ordinante, & imperante: unde eleemosyna sic accepta definiri potest: *Opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione, propter Deum.*

III. Eleemosyna distinguitur in corporalem, & spiritualem. Ita S. Th. hic *a. 2.* Quia eleemosyna ordinatur ad subveniendum necessitatibus, & indigentiis proximorum: hæ autem sunt vel corporales, vel spirituales, quibus septem modis potest subveniri. Corporalibus quidem: nam vel indigentia est in hac vita; vel post hanc vitam. Si in hac vita; aut est communis, aut specialis ex aliquo accidente. Si communis; aut est interior, aut exterior. Si interior, aut est indigentia cibi, quæ dicitur *fames*; & huic subvenitur per alimentum: & hoc est *pascere esurientem*. Vel est, indigentia humidi, nempe, sitis; & huic subvenitur per potum: & hoc est *potare sitientem*. Si indigentia est alicujus exterioris; aut est tegumenti, & huic subvenitur per vestem; unde dicitur: *Vestire nudum*. Aut est habitaculi; & huic succurritur per hospitium; unde dicitur: *Suscipere hospitem*. Si vero indigentia specialis: aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas: & huic subvenitur per hoc, quod est: *Visitare infirmos*. Vel ex causa extrinseca, ut est captivitas: & huic subvenit *Redemptio captivorum*. Vel tandem indigentia est post hanc vitam, & huic subvenit mortui sepultura. Unde versus

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

IV. Necessitatibus autem spiritualibus proximi aliis septem modis subvenitur. Primo modo, petendo auxilium a Deo: & ad hoc ponitur *Oratio*, qua quis pro aliis orat. Alio modo, impendendo humanum auxilium: & hoc, vel contra defectum intellectus speculativi; & huic subvenitur *per doctrinam*: vel intellectus practici: & huic succurritur *per consilium*. Vel defectus est in passione appetitivæ partis, inter quos maximus est tristitia: & huic subvenitur *per consolationem*. Tertio modo, defectus est in inordinatione actus: & hic, vel est ex parte peccantis, qui inordinate procedit: & huic occurritur *per correctionem*. Vel ex parte ejus, in quem peccatur. Et si quidem peccatum sit in Deum, occurrimus, *remittendo offensam*. Si vero sit in Deum, vel proximum, subvenire nostrum non est. Vel ex actu inordinato sequuntur gravamina apud conviventes, etiam præter peccantis intentionem: & his occurritur, *Patienter supportando*, juxta illud, Galat. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Quæ omnia claudit sequens versus;

Consule, sarpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

V. Eleemosynas spirituales potiores esse corporalibus, docet S. Th. hic *a. 3.* simpliciter loquendo. Primo. Quia id, quod exhibetur, nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali. Secundo. Ratione ejus, cui subvenitur; quia spiritus nobilior est corpore. Tertio. Quantum ad actus, quibus proximo subvenitur; quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quasi serviles. Interdum tamen eleemosyna corporalis præferenda est spirituali; non quia nobilior, sed quia magis necessaria. Potius enim pascendus est fame moriturus, quam docendus ignorans; cum hic, & alio tempore, & tum a te, tum ab aliis doceri possit; fame autem morituro non possit postea subveniri.

VI. Docet præterea S. Th. *a. 4.* Eleemosynam corporalem esto secundum suam substantiam non habeat nisi corporalem effectum, nimirum, supplere indigentias corporales proximorum; ex parte tamen causæ, in quantum datur propter amorem Dei, & proximi, afferre fructum spiritualem: sicut etiam ex parte effectus, in quantum ille, cui per eleemosynam subvenitur, movetur ad orandum pro benefatore, juxta illud Ecclesiastici 29. v. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

VII. Si quæras: An qui facit eleemosynam majorem ex minori charitate plus mereatur, quam qui ex majori charitate facit minorem? Respondeo, illum magis mereri, loquendo de præmio essentiali, quod quantitati charitatis respondet; illum vero magis mereri, loquendo de præmio accidentali, quod datur pro specie, seu quantitate operis, ut ex S. Th. *in 1. Cor. c. 3. Lect. 2.* Absolute tamen plus mereri, qui parum, sed majori charitate dat, pronunciavit Christus, *Luca 21.* de illa vidua, quæ duo sola æra minuta dando, plus omnibus misit. Nam (ut ait S. Th. hoc *a. 4. ad 3.*) *Vidua, quæ minus dedit secundum quantitatem, plus dedit secundum suam proportionem: ex quo pensatur in ipsa major charitatis affectus, ex quo corporalis eleemosyna spiritualem efficaciam habet.*

§. II.

An Eleemosyna sit in Præcepto.

VIII. Manichæi, referrente S. Augustino *l. contra Adimantum c. 17. & l. 30. contra Faustum c. 16.* nullum visi sunt agnovisse præceptum, immo neque consilium de eleemosyna eroganda; cum vetarent, panem porrigere supplici mendico. Oppositum tamen, nedum D. Th. hoc *a. 5.* sed Scriptura, immo natura ipsa docet. Quare

XI. Dico. Eleemosynam dare, est in præcepto. Ita de fide tenendum est. Scriptura enim constat, eos damnari, qui eleemosynas facere neglexerunt; Matth. 25. v. 41. & 42. *Discedite a me maledicti in ignem æternum . . . esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Deinde sine charitate non possumus salvari: sed non habet charitatem, qui proximo suo indigenti non subvenit. Unde Joannes, Epist. 1. c. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Jacobi 2. v. 13. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Quod & manifesto divitis Epulonis exemplo, *Luca 16.* comprobatur; qui æternis flammis addictus legitur, quod Lazari mendici miserus non fuerit. Et Prov. 21. v. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Quibus omnibus constat, peccare mortaliter eum, qui urgente præcepto dandi eleemosynam, eam omitteret: peccaret, inquam, non solum contra jus divinum positivum, sed etiam contra jus naturale: propter rationem sequentem D. Thomæ.

X. Quæ talis est, *Cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est, omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur*: sed *ad dilectionem proximi* requiritur, ut *proximo non solum velimus bonum, sed etiam opersmur, secundum illud. 1. Joann. 3. v. 18.* Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. *Ad hoc autem, quod velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur, quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem*; ergo *eleemosynarum largitio est in præcepto.* Et confirmatur. Qui enim contra ageret, violaret mutuam beneficiorum communicationem, quæ ad amicabilem convictum est necessaria.

XI. Neque dicas, Christum, *Marci 14.* reliquisse hominum libertati dare eleemosynam. Ait enim: *Pauperes semper habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis eis benefacere.*

Respondeo, neg. ant. Ut enim docent Patres, præcipue Cyprianus, *l. de Opere, & eleemosynis*, Dominus *inter sua mandata divina, & præcepta cælestia nihil crebrius mandat, & præcipit, quam ut insistamus eleemosynis dandis.* Ad oppositum ergo textum nego similiter id, quod ex eo concluditur. Nam Christus ibi (ut ex contextu) non significat, liberum esse dare eleemosynam: sed quibusdam indigne ferentibus, quod mulier vas unguenti effudisset super caput ejus, ac discentibus, quod poterat unguentum illud venundari, & divi pauperibus; eis respondit, opportunitatem pauperibus beneficiendi, modo non desit voluntas, semper futuram, quia semper erunt pauperes: non tamen futuram opportunitatem illud pium opus faciendi in sua persona, quia non semper futurus erat cum illis visibilis, & mortalis.

XII. Dices secundo. *Daniel c. 4. v. 24.* proposuit Nabuchodonosori eleemosynam, tamquam consilium, dicens: *Consilium meum Regi placeat: peccata tua eleemosynis redime*; ergo eleemosyna non est in præcepto.

Varie huic respondetur. S. Th. hoc *a. ad 1.* dicit, quod Nabuchodonosor nondum legem, & cultum unius Dei acceptaverat; ideoque hoc particulare præceptum, non erat illi proponendum per modum præcepti, ne forte responderet, se non acceptare talem legem: sed prudenter per modum consilii proponendum erat —— Secundo respondet idem S. Doct. Danielem proposuisse eleemosynam, per modum consilii; quia in ea circumstantia præceptum eleemosynæ non obligat. Cum enim ad redimenda peccata, alia adessent media, eleemosyna erat proponenda per modum consilii, scilicet, tamquam medium aptius ad obtinendam veniam.

XIII. Dices tertio. Cuilibet licet uti re sua, & eam retinere; ergo non tenetur eam alteri dare, & erogare in eleemosynam.

Respondet S. Th. hic ad 2. *Quod bona temporalia, quæ homini divinitus conferuntur, ejus quidem sunt quantum ad proprietatem; sed quantum ad usum, non solum debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui ex eis sustentari possint ex eo, quod ei superfluit.* Quod enim diviti superest, hoc pauperis esse, ostendit ex S. Basilio, *Homil. in Luca 12.* & S. Ambrosio, *Serm. 63. de Temp.* ut habetur in Decret. c. *Sicut ii*, dist. 47.

Quapropter in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 2. *Sicut* (inquit) *est accipere superfluum, & diminutum in datione: ita in retentione, & acceptione, ut Phil. dicit in 5. Eth. Et ideo aliquis retinendo sua, contra virtutem facit quandoque, & per consequens contra legem Dei, qua ad omnem virtutis actum sufficienter ordinat.*

XIV. Si quæras: Sub quo legis Dei præcepto contineatur præceptum eleemosynam erogandi?

Respondet D. Th. hoc *a. 5. ad 4. & in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 3.* reduci ad præceptum affirmativum, quod est honorare parentes. Licet autem in hoc exprimatur solum debitum pietatis subveniendi parentibus: cum tamen parentes primum locum habeant in numero proximorum, sub isto nomine omnis proximus proportionaliter continetur. Scio, quosdam velle præceptum eleemosynæ divagari per omnia præcepta secundæ tabulæ: sed responsio S. Thomæ tenenda est.

§. III.

De quo Eleemosyna facienda sit, & quo Tempore Obliget.

XV. In eleemosyna facienda, ejusque obligatione duo (inquit S. Th. hoc *a. 5.*) considerandi sunt. Unum ex parte *dantis*, alterum ex parte *recipientis*. Ex parte dantis, considerandum est, ut id, quod est in eleemosynam erogandum, sit ei superfluum, secundum illud, Lucæ 11. 41. *Quod superest, date eleemosynam.* Superfluum autem est, non solum quod est supra necessarium individuo, vel personæ, sed etiam aliis, quorum persona illa curam gerit. *Quia prius oportet, quod unusquisque sibi provideat, & his, quorum cura ei incumbit; & postea de residuo aliorum necessitatibus subveniat. Sicut & natura primo accipit sibi ad sustentationem proprii corporis, quod est necessarium, ministerio virtutis nutritivæ; superfluum autem tergat ad generationem alterius per virtutem generativam.* Quare Patrifamilias id superfluum censebitur, quod est supra necessarium, & sibi, & congruæ suæ familiæ sustentationi.

Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; aliquin non esset ratio, quare eleemosyna illi daretur. Sed cum non posset ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest . . . Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate: aliis autem eleemosynas dare, est in consilio, sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia.

XVI. Ex præfatis D. Th. verbis, sicut & ex eis, quæ docet *a. 6.* sequenti concluditur, non teneri quempiam, saltem regulariter, de sibi omnino necessario eleemosynam dare: *Puta, si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum, unde posset sustentari, & sibi sui, vel alii ad eum pertinentes. de hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi, & filiis suis vitam subtrahere.* Addit tamen S. Doct. *Sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentarentur. Quia pro talis personæ liberatione, seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret: cum bonum commune sit proprio præferendum.*

XVII. *Alio modo* (prosequitur S. Th.) *dicitur aliquid necessarium, sine quo non potest convenienter vita transigi, secundum conditionem, & statum propriæ personæ, & aliarum personarum, quarum cura ei incumbit. Hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus: sed multis additis, non potest dijudicari esse ultra tale necessarium; & multis subtractis, adhuc remanet, unde posse convenienter aliquis vitam transigere, secundum proprium statum. De hujusmodi vero eleemosynam dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Inordinatum esset autem, si aliquis sibi tantum de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter, secundum proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet.*

Hæc S. Th. qui tamen excipit tres casus. Primum ejus, qui statum mutat, puta, Religionem ingrediens, & omnia propter Christum relinquens. Secundum: *Quando ea, quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili reparari possunt.* Tertium. *Quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam magna necessitas Reipublicæ. In his enim casibus laudabiliter præmitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.*

XVIII. Hoc tamen necessarium ad decentiam proprii status, quamvis, ut ait D. Th. in indivisibili non consistat, non est adeo extendendum, ut incidamus in opinionem ab Innoc. XI. n. 12. damnatam, quæ asserebat: *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* In quo errore sunt illi, quorum status decentiæ sufficerent puta mille; ipsi tamen in pompa, luxu, vestibus, cibis, familis, aliisque statum excedentibus, nec non voluptatibus exsaturandis duo millia expendunt: adeo ut non solum non habeant de superfluo, sed vix de necessario. Sicut e converso alii, qui vano timore, ne suo statui desint necessaria, pecuniis, aliaque retinent, quæ essent pauperibus eroganda: & hoc titulo se ab obligatione elargiendi eleemosynas exemptos putant. Hi enim sunt, contra quos clamat Basilius, 2 D. Th. hic *a. 5. ad 2.* relatus: *Est panis famelici, quem tu tenes, oudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot injuriaris, quot dare valens ex.*

XIX. Superest videre: an de injuste acquisitis possit eleemosyna fieri.

S. Th. hic *q. 32. a. 7.* dicit: *Tripliciter potest aliquid esse illicite acquisitum. Uno enim modo id illicite ab aliquo acquiritur, quod debetur ei, a quo est acquisitum; nec potest ab eo retineri, qui acquisivit: sicut contingit in rapina, & furto, & usuris. Et de talibus, cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest.*

Alio vero modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens contra justitiam legis divinæ agit: unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet datio, & acceptio est contra legem.

Tertio modo est aliquid illicite acquisitum, non quidem, quia ipsa acquisitio sit illicita; sed quia id, ex quo acquiritur est illicitum: sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc proprie vocatur: Turpe lucrum. *Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo, quod accipit, non injuste agit, nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri.* Hoc tamen non currit de adultera, quæ si pretium pro adulterio recipit, injuste recipit, & retinere non potest. Nemo enim de re non sua pretium accipere potest, & vendere. Quod suum non est. Uxor autem non est domina usus sui corporis, pro quo pretium recipit; & si recipit, dominium non acquirit, quia talis usus a nullo emi potest: ideoque de tali lucro eleemosynam erogare non potest.

XX. Quantum ad illicite acquisita per ludum S. Thom. ibidem

dem ad 2. hæc habet: *Circa illa vero, quæ per aleas acquiruntur, videtur eſſe aliquid illicitum ex divino jure: ſcilicet, quod aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt, ſicut ſunt minores, & furioſi, & hujuſmodi: & quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur. Et in his caſibus tenetur ad reſtitutionem: & ſic de eo non poteſt eleemoſynam facere.*

Aliquid autem videtur eſſe ulterius illicitum ex jure poſitivo civili, quod prohibet univerſaliter tale lucrum. Sed quia jus civile non obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubjecti; & iterum per deſuetudinem abrogari poteſt: ideo apud illos, qui ſunt hujuſmodi legibus obſtricti; tenetur univerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur: niſi forte contraria conſuetudo prævaleat: aut niſi aliquis lucratus ſit ab eo, qui traxit eum ad ludum. In quo caſu non tenetur reſtituere; quia ille, qui amiſit, non eſt dignus recipere, nec poteſt licite retinere, tali jure poſitivo durante: unde debet de hoc eleemoſynam facere in hoc caſu.

Quoad alteram quæſiti partem de tempore, & caſibus, quibus obliget præceptum faciendi eleemoſynam, quia præceptum hoc, utpote affirmativum, non obligat ad ſemper;

XXI. Dico primo. Si occurrat aliquis extremam patiens neceſſitatem, tenemur ſub mortali ei ſubvenire, non ſolum de eo, quod eſt ſuperfluum naturæ, & ſtatûs; ſed etiam de ſuperfluo naturæ, quamvis ſit neceſſarium ſtatui. Prior pars conſtat ex doctrina ſupra allata, ex *a.* 5. S. Thomæ. Et quidem ſi præceptum hoc aliquo in caſu obligat, non eſt aſſignabilis caſus certior caſu neceſſitatis extremæ.

Secunda vero pars probatur primo. Quia ſecundum ordinem charitatis debemus præferre vitam proximi decentiæ noſtri ſtatus. Secundo. Quia extremam neceſſitatem patiens licite poteſt ſurripere aliena, etiam eo, qui ea habet, nolente, nec quiſquam poteſt eum impedire; ergo ſignum eſt, quod ea illi tenetur dare, ſi naturæ ſint ſuperflua: alioquin eſſet bellum ex utraque parte juſtum, ſi licitum eſſet, extreme indigenti ſuperflua naturæ ab alio ſurripere, & licitum eſſet, ea habenti illi denegare. Et ratio eſt. Quia extrema neceſſitas facit omnia communia, quantum ad uſum: unde extreme indigens neceſſaria ſibi accipiens, tollit quod ſuum eſt. —— Nomine autem extremæ neceſſitatis non eam ſolam intelligimus, qua aliquis jam nunc eſt ex inedia ſpiritum emiſſurus; ſed etiam, qua judicio valde probabili apparet, eo deventurum, niſi ei ſuccurratur. Ita ex D. Th. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 4. *ad* 4.

Neque dicas, S. Thomam hic *a.* 6. velle quidem, quod ſit *laudabile* de neceſſariis ſtatus extreme indigenti ſuccurrere, non tamen in præcepto —— Nam S. Thom. hic *a.* 5. duos aſſignat caſus, quibus ex præcepto oportet dare eleemoſynam. Unum, quando habetur ſuperfluum; alterum, quando occurrit extremam neceſſitatem patiens. Et *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 4. docet, quod *Præceptum legis obligat, quod etiam neceſſitati extraneorum abſolute primo ſubveniatur, quam neceſſitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ.* Et quod repetit ibidem *ad* 4. Et *ad* 2. dicit: *Quando alius eſt in ſtatu extremæ neceſſitatis, efficiuntur ſibi omnia communia: unde etſi per violentiam, vel furtum acciperet, non peccaret.*

XXII. Dico ſecundo. In caſu neceſſitatis, non quidem extremæ, ſed gravis etiam tenemur facere eleemoſynam de ſuperfluo naturæ, quamvis ſit neceſſarium ſtatui. Ita plerique Doctores, & colligunt ex illo, 1. Joan. 3. v. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Unde Aug. tract. 5. in illam Epiſtolam, cum dixiſſet: *Eſurit frater tuus, in neceſſitate poſitus eſt, fortaſſis ſuſpenditur, a creditore anguſtiatur:* Subjungit: *Quod ſi facultates mundi habes, quid ad me pertinet? Forte dicis: ergo daturus ſum pecuniam meam, ne ille moleſtiam patiatur? Si hoc tibi reſponderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo &c.* Ubi ſermo eſt de neceſſitate indefinite, ideſt, non extrema tantum, ſed etiam gravi.

XXIII. Hinc ſi proximus gravi, & periculoſo morbo laboret, vel frigore vehementer affligatur: & ſine magno tui ſtatus detrimento poſſis ſubvenire, charitas exigit, ut ſubvenias. Idem judicium eſt, ſi proximo evidenter imminet periculum famæ, vel mortis: ordo enim charitatis poſtulat, ut ſuccurramus gravi neceſſitati proximi, quando ſine magno noſtro incommodo poſſumus. Nec tamen ſequitur, quod quis teneatur totum ſuum patrimonium expendere pro vita ruſtici, ſi prædones eum eſſent occiſuri. Nam ſicut ſi quis a Turcis capiatur, non tenetur, ſe cum quantacumque, & totali ſtatus ſui everſione, & familiæ redimere: ita multo minus tenetur, alium cum tanto incommodo liberare, niſi forte eſſet perſona, ex qua ſalus Reipublicæ dependeret. Quare hujuſmodi obligatio arbitrio prudentum penſanda eſt; dummodo hoc certum habeatur, mortaliter peccare, ſi eleemoſynas dare quis omittat: *Cum apparet evidens, & urgens neceſſitas, nec apparet in promptu, qui ei ſubveniat,* ut docet D. Th. hic *a.* 5. *ad* 3. Nec ſibi aduletur, putans, ſe non poſſe ſine gravi detrimento, cum revera poſſit. Nec tamen e contra exiſtimetur, multos damnari propter eleemoſynam de neceſſario ſui ſtatus in gravibus pauperum neceſſitatibus non datam. Nam ejuſmodi graves neceſſitates non ſunt adeo multæ, præſertim, quæ cognoſcantur, & quibus alia via non ſubveniatur.

XXIV. Dico tertio. Eum, qui habet ſuperflua ſtatus, multo magis teneri ad eleemoſynam faciendam, non ſolum in gravi, ſed in communibus pauperum neceſſitatibus. Quia tamen aliqui putant, oppoſitum ſentire S. Th. Primo. In 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 4. *ad* 4. ubi dicit, quod obligat præceptum de eleemoſynis faciendis: *Ex parte dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget, neque ad ſuſtentationem vitæ, neque ad decentem ſtatus ſui conſervationem, etſi pauperes extremæ neceſſitatis non compareant.* Secundo. Ibidem *art.* 4. *q.* 1. *Illud autem* (inquit) *quod neceſſarium reputatur ad aliquid, quod eſt ultra decentiam ſtatus, debet in eleemoſynam diſpenſari: & hoc cadit ſub præcepto.* Tertio. *Quodlib.* 8. *art.* 12. ubi hanc rem pertractat, dicit: *Suppoſito, quod aliquis habeat de ſuperfluo, & reſpectu individui, & reſpectu perſonæ, quod tenetur pauperibus erogare: aut videt in paupere petente ſigna evidentia extremæ neceſſitatis, aut non. Si videt certum eſt, quod tenetur dare, & peccat non dando . . . . Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti; quia quamvis teneatur dare ſuperfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare: ſed tenetur diſtribuere, ſecundum quod ſibi viſum fuerit opportunum. Nec tenetur inquirere; quia hoc eſſet nimis grave, quod de omnibus pauperibus inquireret; præcipue cum ad eum, qui neceſſitatem patitur, pertineat, ut neceſſitatem ſuam exponat.*

XXV. Quarto. Hac 2. 2. *q.* 66. *a.* 7. format hunc diſcurſum: *Ea, quæ ſunt juris humani, non poſſunt derogare juri naturali, vel juri divino:* atqui *Secundum naturalem ordinem ex divina providentia inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, quod ex his ſubveniatur hominum neceſſitati;* ergo *Per rerum diviſionem, & appropriationem ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominum neceſſitati ſit ſubveniendum ex hujuſmodi rebus. Et ideo res, quas aliqui ſuperabbundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi . . . Sed quia multi ſunt neceſſitatem patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri; committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio propriarum rerum, ut ex eis ſubveniat neceſſitatem patientibus.*

§. IV.

Quinam poſſint Eleemoſynam facere?

XXVI. HOc quæſitum reſolvit S. Th. hac *q.* 32. *a.* 8. dicens: *Quod ille, qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus, in quantum hujuſmodi, ſecundum ſuperioris poteſtatem regulari debet. Hic eſt enim ordo naturalis, ut inferiora ſecundum ſuperiora regulentur. Et ideo oportet, quod ea, in quibus inferior ſuperiori ſubjicitur, diſpenſet, non aliter, quam ei ſit a ſuperiore permiſſum. Sic ergo ille, qui eſt ſub poteſtate conſtitutus, de re, ſecundum quam ſuperiori ſubjicitur, eleemoſynam facere non debet, niſi quatenus ei a ſuperiore fuerit commiſſum. Si quis vero habeat aliquid, ſecundum quod poteſtati ſuperioris non ſubſit, jam ſecundum hoc non eſt poteſtati ſubjectus, quantum ad hoc proprii juris exiſtens: & de hoc poteſt eleemoſynam facere.*

XXVII. Hinc ad 1. infert: *Quod Monachus, ſi habet diſpenſationem a Prælato commiſſam, poteſt eleemoſynas facere de rebus Monaſterii, ſecundum quod ſibi eſt commiſſum. Si vero non habet diſpenſationem, quia nihil proprium habet; tunc non poteſt facere eleemoſynam ſine licentia Abbatis, vel expreſſe habita, vel probabiliter præſumpta: niſi forte in articulo extremæ neceſſitatis, in quo licitum eſſet ei furari. Nec propter hoc efficitur pejoris conditionis, quia, ut dicitur, de Eccleſiaſticis dogmatibus* (olim Auguſtino tributo, nunc Gennadio, c. 35.) *Bonum eſt, facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum inſimul omnia donare, & abſolutum ſolicitudine egere cum Chriſto.* Hoc idem docet in *diſt.* 15. *q.* 2. *a.* 5. *q.* 4. & *Quolibeto* 3. *a.* 15. Sed non ſolum de rebus Monaſterii nequit Monachus abſque licentia, ſed nec de rebus illis, quas a parentibus accepit, vel a divitibus in eleemoſynam acceptis, vel proprio labore acquiſitis, vel de iis ſibi ad victum, aut veſtitum conceſſis. Nam quidquid habet Religioſus, eſt Monaſterii: ipſe autem incapax eſt, non ſolum dominii, ſed etiam legitimi uſus, niſi quatenus a Superiore ei conceditur.

XXVIII. De uxore autem ait ibidem ad ſecundum: *Quod ſi uxor habeat alias res, præter dotem, quæ ordinatur ad ſuſtentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, poteſt dare eleemoſynas, etiam irrequiſito aſſenſu viri; moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri, vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in periculo neceſſitatis, ſicut de Monacho dictum eſt. Quamvis enim mulier ſit æqualis viro in actu matrimonii; tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent,* vir caput eſt mulieris, *ſecundum Apoſtolum,* 1. *Cor.* 11. Idem docet Ubi addit, poſſe ſine conſenſu viri, etiam de rebus domus ipſi, & viro communibus, *Aliquas eleemoſynas communes, & modicas* facere, *de quibus ſatis ei conſtare poteſt, quod viro placeret, ſi neceſſitatem pauperis inſpiceret.*

XXIX. De filiisfamilias docet hoc a. 8. ad 3. *Quod ea, quæ ſunt filii familias, ſunt & patris; ideo non poteſt eleemoſynam facere, niſi forte aliquam modicam, de qua poteſt præſumere, quod patri placeat; niſi forte alicujus rei eſſet ſibi a patre diſpenſatio commiſſa.* Idem dicit *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *a.* 5. *q.* 2. ubi addit ad 1. *Quod quamvis filiusfamilias ſit hæres, non tamen adhuc eſt dominus rerum: & ideo dare non poteſt.* Et ad 2. *Quod ad victum corporalem tenentur ei parentes, niſi ex culpa ſua remaneat: & ideo poteſt uti rebus parentum ad neceſſitatem ſuam, non autem aliis dare.* Excipe tamen, ſi filiusfamilias eleemoſynas faceret ad impediendum ſpirituale damnum, vel etiam temporale parentum, qui eſſent avari, & ſcele-

ſti: tunc enim expediret filio (& idem dic de uxore) ad avertendam iram Dei, & ad eum ad ſaniorem mentem revocandum, etiam ipſo invito, eleemoſynas facere, ſicut fecit Abigail, 1. *Reg.* 25.

XXX. De ſervis porro, & ancillis hæc docet in 4. citato loco, q. 3. *Dicendum eſt de ſervis, & ancillis, & etiam famulis, quamvis ſint liberæ conditionis, quod non poſſunt eleemoſynas dare de rebus dominorum, ſine eorum conſenſu, niſi panem, & hujuſmodi, quæ, ut dictum eſt, non inferunt ſenſibile nocumentum. Quia etſi ſit diſpenſator rerum, non tamen ponitur diſpenſator, quaſi poteſtatem aliquam in re domini habens; ſed quaſi tractans eam ad utilitatem domini. De pretio autem ſui ſervitii conſtat, quod poſſit eleemoſynam dare.*

XXXI. Nec valet dicere, quod cum eleemoſynæ ſint bonum ſpirituale, ſemper præſumi poteſt, quod domino placeant. Et rurſus: quod ſicut ſervus debet procurare bonum temporale; ita & multo magis bonum ſpirituale, & ſalutem animæ ſui domini; quod maxime per eleemoſynas procuratur, quomodo facimus ſuffragia pro mortuis.

Nam reſpondet S. Th. citata q. 3. ad 1. *Quod non oportet, quod præſumatur de quolibet quodlibet bonum; ſed illud, ad quod tenetur, quo prætermiſſo peccat: quia nullum debemus credere malum, niſi conſtet nobis de malitia ejus. Et ideo non oportet, quod famulus credat, quod domino placeat; niſi in illa neceſſitate pauperis, in qua dominus de neceſſitate tenetur.*

Ad id, quod additur, reſpondet idem S. D. ibi ad 2. *Quod ſuffragia non proſunt mortuis per alios facta, niſi in quantum meruerunt* ut eis *prodeſſent, dum adhuc viverent, ut Aug. dicit* (in Enchir. c. 109. & de Cura pro mortuis agenda, c. ult.) *Et ideo ſunt aliquomodo eorum illæ eleemoſynæ, quæ pro eis fiunt. Et ſimiliter oportet, quod eleemoſynæ, quæ pro viventibus fiunt, ſi debent eis prodeſſe, debeant eſſe eorum: quod non poteſt eſſe, ſi eis diſpliceat. Et ideo non debet facere eleemoſynam pro domino famulus de rebus domini, niſi conſtet ſibi, quod ei placeat.*

Plura alia de eleemoſyna dicunt Commentatores ſuper hanc *q.* 32. præſertim Bannez, & Sylvius ad *art.* 5. 6. 7. & 8. Nobis ſufficiat, mentem S. Doctoris aperuiſſe, ut ad alia tranſeamus.

TRACTATUS XIII.
DE JURE ET JUSTITIA.

COnſideratio de jure, & juſtitia Philoſophis, Juriſtis, & Theologis communis eſt, modus tamen, & finis eam conſiderandi, diverſus. Philoſophus enim moralis jus, & juſtitiam conſiderat ſecundum principia legis naturæ, & pro fine habet, hominem bene diſponere ad finem naturalis honeſtatis, & convictum politicum. Juriſconſultus jus, & juſtitiam inſpicit ſecundum leges humanas, tam Eccleſiaſticas, quam civiles, quarum obſervantiam intendit. At Theologus, qui cunctis aliarum artium Profeſſoribus, & modo procedendi, & fine eminet, jus, & juſtitiam per ſuperiora, ac ſupernaturalia principia ſcrutatur: ut per ea hominem ad finem æternæ vitæ perducat. Hoc Angelica ſua claritate, & diſtinctione, inter cæteros, præſtat S. Th. 2. 2. *q.* 57. uſque *ad* 80. cujus doctrinæ, & methodo inhærentes præſentem Tractatum inſtituimus.

QUÆSTIO I.

De Jure.

QUia ſecundum Ariſt. 2. *de Anima*, *text.* 33. qui de potentia, vel habitu tractaturus eſt, exordium auſpicari debet ab objecto, unde habitus ſpeciem ſortitur; ideoque qui de ſenſibus init diſputationem, prius de ſenſibili tractare debet, quia ſenſus per ordinem ad ſenſibile ſolum explicari poteſt: & quia idem Ariſt. 5. *Ethic.* definit juſtitiam per *jus*, ſeu *juſtum*, tamquam per ſuum objectum, dicens: Quod ſit *habitus, quo volumus, & juſtum operamur:* ideo ad quæſtionem de juſtitia quæſtionem de jure præmittimus.

DUBIUM IV.

Utrum ſit objectum Juſtitiæ.

§. I.

Variæ Juris Acceptiones.

I. VArias hoc nomen *Jus* ſubit ſignificationes, ſub quibus objectum juſtitiæ eſſe non poteſt, ut docet S. Thom. hic *q.* 57. *a.* 1. *ad* 1. Primo enim *Jus* accipitur pro ipſa parte, qua cognoſcitur, quid ſit juſtum, quæ alio nomine vocatur Juriſprudentia. Et hoc modo jus accepit Celſus Juriſconſultus *l.* 2. *ff. de Juſt. & Jure*, dicens: *Jus eſt ars boni, & æqui.* Sed hoc eſt detorquere nomina a ſua prima impoſitione, inquit S. Th. Nam *ſicut nomen medicinæ impoſitum eſt primo ad ſignificandum remedium, quod præſtatur infirmo ad ſanandum; deinde tractatum eſt ad ſignificandam artem, qua hoc fit: ita etiam hoc nomen jus primo impoſitum eſt, ad ſignificandam ipſam rem juſtam: poſtmodum autem eſt derivatum ad artem, qua cognoſcitur, quid ſit juſtum.* —— Secundo. Eſt derivatum, *Ad ſignificandum locum in quo jus redditur: ſicut dicitur aliquis* comparere *in jure.* —— Tertio. Transfertur ad ſignificandam ipſam Judicis ſententiam. Cum enim Judex ſententiam profert, jus dicere dicitur: cum *interdum quod decernit ſit iniquum.* Nullo autem ex his modis jus eſt objectum juſtitiæ.

II. Aliis ergo tribus modis jus uſurpatur. Primo. Pro lege determinante, quid ex juſtitia cuique tribuendum ſit; quo modo ipſa lex *Jus* dicitur, ſeu verius *Juris regula.* Et ita diſtinguimus jura in jus naturale, divinum, humanum &c. Unde alienum non ſurripere, dicimus eſſe de jure naturali; ſuſcipere Baptiſmum eſſe de jure divino; ſervare ſtatuta jejunia eſſe de jure humano. —— Secundo. Sumitur jus active pro legitima poteſtate, quam quis habet aliquid faciendi, aut recipiendi, ut impediri minime debeat. Sic qui rem ſuam conſumit, vendit, defendit, utitur jure ſuo. —— Tertio. Sumitur jus quaſi paſſive, prout eſt idem, ac *Juſtum*; & non pro juſto quomodocumque, ut eſt æquum, bonum, honeſtum; ſed pro juſto, quod ponit æqualitatem inter debitum unius, & creditum alterius: quo ſenſu dicit S. Th. hoc *a.* 1. dicuntur *vulgariter ea, quæ adæquantur*, juſtari.

III. Omnibus ergo tribus præfatis modis *Jus* pertinet ad juſtitiam: aliter tamen, & aliter. Nam *Jus* primo modo comparatur ad juſtitiam, ut ejus regula; eo quod omnis juſtitia regulatur lege determinante, quid unicuique debeatur, quidque illi reddendum ſit, ut adæquetur, ſeu juſtetur. —— Secundo vero modo jus ſe habet, ut conditio omnino neceſſaria ad juſtitiam: quia cui nulla eſt legitima poteſtas ad aliquid, nihil poteſt eſſe debitum. —— Tertio autem modo jus eſt objectum juſtitiæ, circa quod ipſa directe, & per ſe verſatur. Juſtitia enim reſpicit hoc, quod eſt dare unicuique, quod ſuum eſt, & quod ſibi debetur, eumque ſic adæquare, & juſtare: & ideo jus, ſeu juſtum, quod a juſtitia reſpicitur, eſt jus connotans in altero poteſtatem, ſeu jus exigendi. In tantum enim ſolvere centum creditori, actus juſtitiæ eſt: in quantum creditor poteſtatem habet, ſeu jus exigendi centum: ut inter creditorem, & debitorem ponatur æqualitas. Licet ergo ſolum jus tertio modo ſit objectum juſtitiæ, ut dicetur; de jure tamen ſecundo modo, pro mei Candidati inſtructione, aliqua dicam: nam de jure primo modo erit ſermo in ſequentibus.

IV. Jus ergo ſecundo modo ſumptum, videlicet, pro legitima poteſtate, definitur: *Poteſtas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, ſeu quaſi functionem, cujus violatio injuriam conſtituit.* Dicitur *Poteſtas*, vel activa ad agendum, aut retinendum aliquid, vel paſſiva ad aliquid recipiendum, puta, ut alatur, ut ei inſerviatur: vel reſiſtiva, ut in jure quod quis habet, puta, ne quis in tali loco ædificet, ne altius attollat murum, ne aperiat feneſtram &c. —— Dicitur *Legitima*, ideſt, a lege conceſſa, alias non eſſet jus, ſed violentia. Poteſt autem tale jus concludi, vel a lege naturali, ut jus ad victum, & ſuſtentationem; ad vim vi repellendam, ad retinendum quod ſuum eſt: vel a lege divina, ut jus ad recipienda ſacramenta, vel alia ad ſalutem animæ neceſſaria: vel ab humana, ut jus ad ſuccedendum in hæreditate.

V. Jus modo dicto dividitur in *Jus ad rem*, & *Jus in re.* Iſtud eſt, quod tribuit actionem realem, ideſt, non ſolum in perſonam, ſed & in rem; quæ ubique ſit, illius eſt, devincta eſt illi: & quocumque tranſeat, cum illo onere tranſit ſemper obſtricta ei, quia in illa jus habet. Quia vero nil magis obſtrictum, & devinctum eſt nobis, quam id, cujus domini ſumus; jus in re præcipue dicitur illud, quod habemus circa res, quarum ſumus Domini: quale eſt jus utendi, alienandi, recuperandi res, quarum ſumus domini, cum eas amiſimus. Jus ad rem illud eſt, quod directe, immediate non tribuit actionem realem, ſive in rem, ſed ſolum perſonalem, ſeu in perſonam. Quare ſi res vendita, nondum tamen tradita, vendatur alteri, manet illi, qui emit; quia res ipſa nobis non eſt obligata: nobis tamen datur actio in perſonam, qua perſona obligata eſt ad rem dandam ſuo tempore. De hoc ſermo erit infra *q.* 4. *Dub.* 1. §. 1.

VI. Hinc fit, quod ut jus in re habere dicamur, non ſufficit titulus ad transferendum dominium, ut emptio, donatio, electio, præſentatio; ſed inſuper requiritur, quod res ſit tradita aliquo genere traditionis. Et ideo in *l. Tradition. c. de Pactis* dicitur: *Traditionibus, & uſucapionibus, dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur.* Quare per emptionem, venditionem, &c. non acquiritur jus in re, niſi ſecuta traditione; nec in beneficiis per collationem, præſentationem &c. niſi ſecuta acceptione illorum. At jus ad rem acquiritur, vel per venditionem, emptionem, collationem, præſentationem, per jus hæreditatis; non ſecuta tamen traditione, acceptatione, aut poſſeſſione. Ita Salmant. *Tract.* 12. *de juſt. & jure c.* 1. *puncto* 2. Molina, Leſſius, & alii.